

sed eadem ex studio brevitatis pluribus non exponimus. Si quis
Mysterium Sacrosanctæ Trinitatis ex Oraculo laudato magis exopta-
 ret, plenius hoc *Arcanum Arcanorum* ex brevissimis Christi verbis
 expectare posset. Videmus hic *Patrem, primam* Deitatis personam,
 quam *Suum* Christus *Patrem* appellat, Eiq; *primum* ante se *statum,*
primum ordinem, evidenter adsignat. Ipse *Filius* innominatus
 non est. Seipsum *Patris Filium* constituit, v. 17. ad *invidiam* usque
Judeorum, v. 18. & disertis verbis non semel nominatim *Filii Dei* no-
 men introducit, v. 19. 20. 21. 22. bis v. 23. 25. 26. 28. &c : quem *denarium*
 tantummodo recitare placuit, *Spiritus Sanctus,* qui loquitur per E-
 vangelistã, *II. Pet. 1, 21.* ne utiquam omissus est. Et certe longe plu-
 ra *Mysteria SS. Trinitatis* observare non tantum, sed & explicare
 possemus, qualia sint *Essentialis personarum Trium Ταύσιότης,* vel
Identitas, v. 19. *Essentialis personarum Trinitatis ἰσότης,* vel *Coequali-*
tas, v. 18. *Essentialis personarum Trium ὁμοιότης,* vel *plenaria Confer-*
nitatis, v. 19. sicut & alia, sed *Programma* nostrum dicit, *Manum de*
tabula. Neq; postremum in hoc *Oraculorum, & Mysteriorum Speculo*
 dicitur *Secretum,* vel *Dogma de Provida Dei cura, de vera Catho-*
lica Patris providentia, de perpetua Prime Cause, vel *Ενεργεία,* vel cum
Causis secundis συνεργεία, vel etiã alia; sed hic etiam *Curriculum Vitæ,*
 proponendum modo, calamum quiescere sibi que locum debitum
 concedere jubet. Neq; videtur nunc opus prolixis nostris *Expli-*
cationibus, & Commentationibus, cum ex *Senatus Consulto Veneran-*
di Collegii Theologici vices illas adimpleturus masculè sit. VIR
 MAXIME REVERENDUS, AMPLISSIMUS, ET EXCELLEN-
 TISSIMUS, DN. M. ADAM HEROLD, hucusq; PASTOR EC-
 CLESIAE HERTZBERGENSIS, & VICINARUM SUPERIN-
 TENDENS MERITISSIMUS, NUNC AUTEM VOCATUS
 ILENBURGENSIS ECCLESIAE PASTOR, ET ADSCRIPTA-
 RUM EPHORUS, AC OPTIME PER DEI GRATIAM MERI-
 TURUS, CANDIDATUS THEOLOGIAE DIGNISSIMUS, A-
 MICUS, FAUTOR, ET IN CHRISTO FRATER HONORA-
 TISSIMUS, in cujus *Gratiam, & Honorem,* ex officii ratione
præsentem *scriptionem* adornare debuimus, & voluimus. Ut au-
 tem ab ortu laudabile Vitæ *Curriculum* ordiamur, *Candidatus*
Noster de *Patriæ splendore* sibi gratulatur. *Patriam* siquidem na-
 ctus est non *pagum,* non ignobile quoddam *oppidum,* sed ipsam